IOANNES DEI GRATIA EPISCOPUS CURIENSIS, DOMINUS IN GROSENSTINGEN, &c.

Universis, et singulis praeſentes litteras inspecturis, lecturis pariter, et audituris salutem in Domino sempiternam.
Fidem facimus, et atteſtamur, quod Anno Domini MDCXXXVij. die quinta Menſis Julij, conſecravimus Eccleſiam, ſitam in superiori Embsio, nrae Dioeceſis, in honorem Sanctiſsimae, et Individuae Trinitatis, Glorioſiſsimae Virginis Mariae, et omnium Sanctorum, ad nomen vero, et memoriam Sanctae MARIAE MAGDALENAE, una cum tribus Altaribus in eadem exiſtentibus; in quorum primo quod est in Choro, et erectum in honorem Sacratiſsimi Roſarij, Reliquias S. Lucij, et Felicis Martyrum; in ſecundo, quod eſt à dextra parte intrando, et erectum in honorem Ssmae Trinitatis, Sancti Valentini Martyris; in tertio quod eſt à ſiniſtris, et extructum in honorem Sanctae Mariae Magdalenae, Sancti Placidi Martyris incluſimus, et singulis Xpi fidelibus hodie unum annum, et in die Anniverſario Conſecrationis huiusmodi ipſum viſitantibus quadraginta dies, de vera Indulgentia, in forma Eccleſiae conſueta, conceſsimus: Diem vero Dedicationis eiusdem Eccleſiae ſtatuimus annuatim celebrandam ipſo feſto Sanctae MARIAE MAGDALENAE. In quorum fidem haſce praeſentes ſigilli nri Epiſcopalis impreſsione, et manus propriae ſubſcriptione munitas dedimus. Datae die, Menſe, Anno, et loco ſupradictis.

Jo. Piſter Secret. Epis.

Bischöfliches Archiv Chur / Schweiz